Cum
Nobiliſſimus, Spectabilis, atque Conſultiſſimus,
Dn. JOHANNES BAUMGARTEN,
inclutus Reipubl. Thorun. Secretarius, Hæreditarius in Lipnice,
FILIOLUM
Magnæ ſpei & virtutis,
JOHANNEM HENRICUM
Anno M. DCC. die 21. Novembris pie defunctum,
Avitiſqve ſepulchris ſolenniter d. 26. Ejuſdem Menſis inferendum vehementer lugeret,
Mœſtiſſimum Dn. Avum, Parenteſque mœſtitudine plenos erigere voluit.
M. Martinus Böhm *Gymn. Prof. Publ. & Viſit.*

GLoria Majorum fulget ſplendore coruſco (a)
Lumina poſteritas inde futura petit.
Gloria calcar habet, ſubditque labantibus annis,
Ut cùrrant metam non remorante pede.
Ignis ut accendit flammas, & lumina ſpargit:
Sic laus Majorum poſthuma corda fovet.
Cernis, ut ignavi veſtigia pigra ſequantur,
Aſt alacres tēdant tramite mâgnifico.
Non tam ceratæ tabulæ, ſtatuæque ſuperbæ,
Signa, nec antiquos condecorare ſolent;
...ta quam Virtus laudataque fama Virorum
...rimit ingeniis facta vetuſta probis.
...eddit faciem vultumque benignum:
...mago cluit.
..., nec maxina gloria ſtirpi,
...n Majorum lumina clara forent:
...c imitari vult ſolers imitamine dextro,
Ducitur exemplis non revocanda piis.
Maxima quos decorant in primis præmia vivæ
Virtutis, quibus eſt ignis amorque boni;
Hos velut ambabus manibus pedibusque prehendit:
Illorum virtus magna tropæa colit.
Quæ minime dono datur, accipiturve per æra (b.)
Sed ſtudiis propriis conſolidata venit.
Hac Tu clareſcis Majorum laude vetuſta, (c)
BAUMGART, O Clarii portio clara chori!
Hac quoque Filiolus fulgebat rite JOHANNES
Quem rapuit noſtris invida Parca locis.
Non ſervat methodum, Logicæ Mors neſcia veræ:
Occidit ante Patrem Natus, Avumque Nepos.
Cui formam Cytherea Venus Chariteſque dederunt,
Cui meus & pietas inviolata fuit.

Dum puer inſudat ſtudijs, puerilibus annis
Solvitur, ac votis fallitur ipſe ſuis.
Dum conſcendebat generoſæ limina vitæ,
Indolis egregias iverat ille vias.
Dum vult Majorum fulgenti inſiſtere laudi,
Cogitur in cœcam mortis abire ſpecum
Dum vult præclara, & propria virtute nitere,
Obſcurum clarus traditur in tumulum.
Quid facies, dilecte Parens? quid Mater amanda?
Quid facies canis conſite, grandis *A*ve?
Sic Vos veſter amor, ſic flos, ſic vita juventæ
Alloquitur: cordi verbula, quæſo, date.
Grates quas poſſum magnas jam mente repono
Veſtris pro curis ſollicitaque manu!
Qua me duxiſtis tenerum, foviſtis & arcte
Auxilio firmo ſubſidioque pio.
Quæ mihi detraxit Deus amplæ tempora vitæ,
Hæc Vobis addat, multiplicetque dies.
Tu vero Frater nimium dilecte Iacobe,
Majorum ſanctam promptus adito viam.
Omnes ſoletur Chriſtus ſolamine ſacro,
Qui mortis mœrent triſtia fata meæ,
Mortis eram vivus, moriens ago tempora vitæ
Æternæ, mœſtis non tumulanda plicis.
O nimium felix! o terque quaterque beatus!
Cujus in hos ætas incidit ipſa dies.
Nam bene cum pueris agitur, quos limine vitæ
In miſeræ raptos Chriſtus ad aſtra vocat.
Quid cupidi vitæ ſeros inhiamus in annos?
Eſt vitæ virtus maxima, poſſe mori.

(a) *Majorum gloria poſteris lumen eſt.* inquit Marius apud Salluſt. in bello Jugurth c. 85. (b) *Virtus ſola neque datur dono, neque accipitur.* Idem ibid. (c) B. M. Erneſt. König oratione in Exitum B. Andreæ Baumgarten Patricii Thorunenſis Burdegalæ pie mortui publice in Gymnaſio noſtro Ann. 1676. Kal. Septembr. dicta ita de familia Baumgartiana fatus eſt: *Tacebo, quoties vel domeſtici ſermones, vel tacitæ cogitationes inclytos utriuſque ſtirpis Majores velut in honoris templo repræſentarunt, quorum ultra duo & tria ſecula clarum in his locis eſt nomen, Sifertios, puta, Ditzios, Cojos, Fridwaltios, Bolmannos, Pruſſos, Hüttfeldios, Eſkios, Ridtgeros, Cramchios, Wedemejeros, Dorpowios, Krügeros, Orlowios, Szweikowios, Peckavios, Allenos, Troſtios, Lyſemannos, alios,*
Adde Nobiliſſ. Familiam Knippeliam, ex qua quoad maternum ſangvinem B. Johannes originem duxerat.

E Chalcographeo Thorunienſium.

inv. 113015
K. fol. 3 att 26